

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXXXVIII. Continens Parabolam Christi De Decem Minis Decem
Servis Traditis. Luc. 19. v. 11.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

esse ad perditas oves Israelis. Et quis dubitabit, si ita fuisset, Judæos multo plus tumultuatos fuisset, ut qui non tantum ad hominem peccatorem, sed etiam ad hominem præputium habentem divertisset. Neque sequitur, Zachæus fuit publicanus à Romanis constitutus. Ergo ipse fuit quoque Romanus: Nam hætenus ex Evangelio sapissimè cognovimus, ipsos etiam Judæos ad hoc munus se conduci passos fuisse: unde tanto acerbior odio contribules eorum ipsos persecuti sunt.

Quod dicit, *domui salutem contigisse*, in eo Christus respexit eo, quod vel Zachæus totam suam familiam conversurus esset, sicuti id regulus, centurio, Cornelius, & alii fecerunt, vel quod domus ipsius jam magna ex parte fidelis facta fuerit, Nam & juxta Græcæ linguæ proprietatem ipsa domus filia Abrahæ dici potest οἶκος υἱὸς τῆς Ἀβραάμ. domui salus contigit: quia filia Abrahæ est, à Christo jam deposita, in υἱοθεσίᾳ Dei.

Addit denique Christus: *venit enim filius hominis querere & servare quod perierat*. Hic reddit Christus rationem ex sua parte, quare ad Zachæum diverterit, non quod peccatorem in peccatis confirmare, sed potius eum conversum ad salutem adducere velit. Adducit igitur argumentum à suo officio, quo etiam Marc. 2. v. 17. Luc. 5. v. 31. Matt. 9. v. 12. utitur. Ut enim Medicus cum ægrotis rectè versatur, quo eos sanet: ita Redemptor cum his qui redemptione indigent. Complectitur autem Christus in hoc suo redemptionis officio duo: *ζητῆσαι καὶ σώσει τὸ ἀπολωλὸς*, & *querere & servare quod perierat*. Prius est diligentia: posterius est potentia: Utrumque est singularis *φιλανθρωπίας*, qua Christus usus est hic erga Zachæum, & alias erga omnes miseros mortales. Sic Christus reddit facti sui rationem, quare ad peccatorem diverterit: quia scilicet propter peccatores in mundum venerit. Primus enim Christi in mundum adventus non est pro justis, sed peccatoribus, secundus futurus est ad iudicium & peccatoribus & justis.

Tandem ne hoc prætermittendum esse vide-

tur, quod Pontificii passim in suis encaniis & solennitatibus dedicationis templorum hanc historiam de Zachæo tractandam ordinarint, quam apostitè & quibus de causis ipsi noverint. Ego nullam video concinniorè, quam quod plerique templorum ipsorum patroni & fundatores, initio multum pecunia per scyphantiam, usuras, rapinas, per fas nefasque instar Zachæi corraferunt: postea verò vel propria conscientia facti, vel à sacrificulis persuasi majorem substantiæ suæ partem ejusmodi domui pro redimendis suis peccatis, non sine superstitione dedicarunt, & consecraverunt. Nam quod allegant illud fieri propterea: quia *hoc die domni illi salus contigerit*. Item quod ipsi conveniat: *hodie in tua domo oportet me manere*, illud frivolum est. Etenim inepte hæc à familia & spiritali domo Zachæi ad materialia templa accommodantur. Si quis autem omnino cum Zachæo Encania celebrare velit, is cum ipso ardentis studio quærat Christum, ipsum hospitio cordis sui, quod templum sacrum Domino patet, excipere desideret. Hoc templum non exornatur accensis cereis & pictis crucibus: sed si stamus filii Abrahæ vel potius filii Dei per fidem, nosque postea per omnem vitam tanquam filios Dei geramus. Hoc si fecerimus, tum salus etiam nobis contingit & nostræ domui, hoc est, liberis familiæ & toti posteritati: Si verò Encania celebranda essent cum tota aliqua Ecclesia, scias Deum non coli tum suffitu thuris, tum lampadum incensione: sed potius devota gratiarum actione pro accensa luce verbi sui & ardentibus precibus, quibus ejus conservationem pro nobis & posteritate quærimus, humili denique corde & contrito spiritu tremante sermones Dei. Talia Encania Deo grata sunt: ac propterea ipsum rogemus ut nobis quoque tale cor, quale Zachæo dedit, tribuat, quo ipsum nos in hac vita in domicilium cordis nostri recipiamus: ipse verò vicissim nos in altera vita in æterna tabernacula suscipiat.

CAPUT CXXXVIII.

CONTINENS PARABOLAM CHRISTI DE DECEM MINIS DECEM SERVIS TRADITIS.

LUC. 19. v. 11.

RATIO ORDINIS.

Dubitari potest, utrum hæc parabola de decem minis decem servis traditis, miraculis de duobus cæcis sanatis, quæ Matthæus & Marcus annotarunt: præmittenda an postponenda sit. Eo quod cæci sanati sint statim in egressu ex Hiericho, hæc autem parabola proposita dicatur, eo quod esset propè Hierosolimam. Hiericho autem ab Hierosolymis distabat 150. stadiis, hoc est, ad quinque Milliaria Germanica. Sed quia Evangelista

ipse hanc parabolam præcedentibus per hæc verba connectit, *ταῦτο, hæc*, (scilicet quæ de Zachæo & ejus domo Christus dixerat) *illis audientibus*, & *adjiciens dixit parabolam*, non decet hæc ab invicem discerpere. Maxime cum Evangelista simul ostendat, quid Christo occasionem præberit hunc sermonem proponendi. Nimirum crassus non tantum turbæ, sed etiam discipulorum stupor, qui *existimabant* Jesum in hac ipsa profectioe ad regiam urbem Hierosolimam, regnum suum

occu-

occupaturum & futurum, ut illud confestim manifestaretur, hoc est, tanta pompa & majestate erigeretur, ut omnibus liquido constaret, Judæos esse populum liberum, quod Deo ita curâ sit ut ipsius autoritate non externum, sed in sinu suo natum regem habere debeat. Et quia hunc finem hujus profectiois judicant, multi se adjungere itineris comites, ut rei viderent eventum. Et quia modo in Zachæi edibus dixerat, filium hominis venisse, ut quarat & servet quod perierat. Ipsi & ἀπολλωλις, quod perierat, absque dubio interpretati sunt regnum Judaicum, libertatem publicam, & cultum Mosaicum. Hæc jam à Christo restitutum iri somniant. Sed Christus ipsis per hanc parabolam significat, rem Hierosolymis longè aliter casuram, quam ipsi opinentur. Regnum enim suum

se in longinqua regione occupaturum. Judæos autem Hierosolymitanos regnum suum per omnia detrectaturos. Apostolos autem suos & reliquos ministros qui cum ipso regnare velint, interim ipso absente donis suis negotiari, sibiq; multos lucrifacere debere: tum se in suo reditu fidelibus ministris regni sui consortium communicaturum, rebelles verò cives & ignavos servos severe puniturum. Regnum autem Dei nominatur, licet ipsi temporale & mundanum somniabant, quia illud per Messiam à Deo missum in populo instaurandum existimarent. Matth. 25. v. 14. consimilis parabola repetitur. Verum quia illa diverso loco & diverso tempore alia occasione adducta cum hac non commiscenda, sed peculiari suo loco tractanda est.

PARABOLA DE DECEM MINIS.

LUC. 19.

- 11. Ακούοντων δὲ αὐτῶν ταῦτα, προσθεὶς εἶπε παραβολὴν, διὰ τὸ ἐγγυὲς αὐτῶν εἶναι Ἱερουσαλὴμ, καὶ δοκεῖν αὐτοῖς, ὅτι παραρχήματα μέλλει ἡ βασιλεία τῶ θσῶ ἀναφανέσθαι.
- 12. Εἶπεν ἄν. ἂν θρωπὸς τις εὐγενὴς ἐπορεύθῃ εἰς χώραν μακρὰν λαβὼν ἑαυτῷ βασιλείαν καὶ ὑποστρέψῃ.
- 13. Καλέσας δὲ δέκα δούλους ἑαυτοῦ, ἔδωκεν αὐτοῖς δέκα μνᾶς, καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, παραγματεύσασθε, ἕως ἐρχομαι.
- 14. Οἱ δὲ πολλοὶ αὐτῶ ἐμίσην αὐτόν, καὶ ἀπέστειλαν προσεβίαιον ὁπίσω αὐτοῦ λέγοντες, ἂ θέλομεν τυτὸν βασιλεύσαι ἐφ' ἡμᾶς.
- 15. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἑσπινεῖν αὐτὸν λαβόντα τὴν βασιλείαν, καὶ εἶπε φωνήν τινα αὐτῷ τῶς δούλους τῆς τριῶ, οἱς ἔδωκε τὸ ἀργύριον, ἵνα γνῶ, τίς τί διεπραγματεύετο.
- 16. Παρεγένετο δὲ ὁ πρῶτος, λέγων, κύριε, ἡ μνᾶ σὺ παραστήγαλόν δέκα μνᾶς.
- 17. Καὶ εἶπεν αὐτῷ, εὖγε ἀγαθὸν ὄλε, ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγέννη, ἵνα ἐξουσίαν ἔχω ἐπάνω δέκα πόλεων.
- 18. Καὶ ἦλθεν ὁ δεύτερος, λέγων, κύριε, ἡ μνᾶ σου ἐσώησε πέντε μνᾶς.
- 19. Εἶπε καὶ τρίτος, καὶ ἡ μνᾶ σου γίνω ἐπάνω πέντε πόλεων.
- 20. Καὶ ἕτερος ἦλθε, λέγων, κύριε, ἵδὲ ἡ μνᾶ σου ἣν ἔχον ἀπέκειμενην ἐν σαρδάρια.
- 21. Ἐφοβήμην γάρ σε, ὅτι ἄνθρωπος αὐστηρὸς εἶ, αἰρὴς, ὁ εἶς ἔθηκας, καὶ διερίζεις, ὁ εἶς ἐσπεύρας.
- 22. Λέγει αὐτῷ, ἐκ τῶ σώματος σου κρινῶ σε, παντὲρ ὄλε. Ἐθὺς, ὅτι ἐγὼ ἄνθρωπος αὐστηρὸς εἶμαι, αἶρων ὁ εἶς ἔθηκα, καὶ διερίζω ὁ εἶς ἐσπεύρα.
- 23. Καὶ διὰ τί καὶ ἔθηκας τὸ ἀργύριον μου ἐπὶ τὴν τράπεζαν, καὶ ἐγὼ ἔλθων σὺν τόκῳ ἀνταράξασα αὐτό;
- 24. Καὶ τοῖς παραστῆσιν εἶπεν, ἀρατε ἀπ' αὐτοῦ τὴν μνᾶν, καὶ δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι.
- 25. Καὶ εἶπον αὐτῷ, κύριε, ἔχει δέκα μνᾶς.
- 26. Λέγει γὰρ αὐτῷ, ὅτι παντὶ τῷ ἔχοντι δοθήσεται. ἀπὸ δὲ τῆ μὴ ἔχοντος, καὶ ὁ εἶς ἀρῆσεται ἀπ' αὐτοῦ.

- 11. Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Hierosolymam, quodque existimarent fore, ut confestim regnum Dei manifestaretur.
- 12. Dixit ergo: Homo quidam genere clarus, profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reverteret.
- 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem minas, & ait ad illos. Negotiamini, donec veniam.
- 14. Cives autem ejus oderant eum, miseruntque legationem, post illum, dicentes: Nolumus hanc regnare super nos.
- 15. Et factum est, ut rediret, accepto regno, justique vocaret illos servos ad se, quibus dederat pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset.
- 16. Venit autem primus, dicens, Domine, mina tua decem minas acquisivit.
- 17. Et ait illi, Euge bone serve, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem civitates.
- 18. Et alter venit dicens, Domine, mina tua confecit quinque minas.
- 19. Et huic ait. Et tu profectus esto quinque civitatibus.
- 20. Et alius venit, dicens Domine, ecce mina tua, quam habui repositam in sudario.
- 21. Timui enim te, quod homo austerus sis, tollis, quod non posuisti: Et metis, quod non seminasti.
- 22. Dicit ei, Ex ore tuo te judicabo serve male. Noveras quod homo austerus sim, tollens quod non posui, & metens, quod non seminavi.
- 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ergo veniens cum usuris utique exegissem illam?
- 24. Et abstansibus dixit, Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet.
- 25. Et dixerunt ei Domine, habet decem minas.
- 26. Dico enim vobis, quod omni habenti dabitur. Ab eo autem qui non habet, etiam quod habet, aufere-



27. Πάντες ἄρχομαι με ἐκένους, τίς ἠὲ θέλει σπένδῃ με θρασυλεύσει ἐπ' αὐτοὺς ἀγαγετέ ὕδα, καὶ κατασφάζετε ἑμαυτοὺς ἐν μὲ.
 28. Καὶ εἰπόντων αὐτῶν, εἰσὸρθεὶς ὁ ἑμαυτοὺς ἐν ἀναβαθμῶν εἰς ἱεροσόλυμα.

27. *Quinimicos meos illos, qui noluerunt, me regnare super se, adducite huc & interficite ante me.*
 28. *Et his dictis ibat pergens ascendere Hierosolymam.*

Periocha hujus parabolæ.

NE in ipsa rerum tractatione vocabulum *Mina* remoram nobis objiciat hic in frontispicio quædam explicationis loco apponere libet. *Mina* vel *Mina*, certum numerum aut pondus pecuniæ notans, est vox communis Hebræis, Græcis & Latinis. Venit autem ab Hebræo מנה *Mina*, quod numerare & partiri significat. Reperitur hæc vox in veteri Testamento, Esdr. 2. v. 69. & in Ezech. 45. v. 12. De quantitate autem *Mina* discrepant authores, Ezechiel eam describit vel potius (ut quidam arbitrantur) qualis & quanta, in novo illo templo esse debeat, inquit. Siculus autem 20. obolos habet, viginti sicli & 25. sicli, & 15. sicli (hoc est 60.) erunt vobis pro mina una. Munsterus super 30. cap. Exodi de quantitate hujus ponderis & vicinorum sic scribit. Habent Hebræi in ponderibus hos gradus. Siclus quem illi Schækel vocant, continet grana hordeacea 384. Mina vero quam & Litra vocant, id est, libram, habet 60. siclos: hoc est, grana hordeacea 23040. At Kikar, quod nostri talentum vertunt, habet 60. libras, grana scilicet 1382400. Ego autem hæc pondera exigens ad pondus Gallici coronatus inveni, uni scutato Gallico respondere grana hordeacea 75. atque in hunc modum siclum continere coronatos quinque, & præterea grana hordeacea 9. Quod pondus per 60. multiplicatum, consurgit ad 307. coronatos, atque 15. grana hordeacea. Tantum valuit libra aurea apud Hebræos, si non est error in positione fundamenti, & grana ubique sunt æqualis ponderis. Si rursum multiplices libram per sexaginta, habebis pondus talenti, nempe coronatos 18432: quod tamen de vulgari talento intelligendum est. Talentum autem sanctuarii fuit duplum ad prophanum, habens scilicet secundum priorem supputationem coronatos 36864. & tantum fuit pondus auri, ex quo fabricatum fuit candelabrum sacrum, cum ornamentis & instrumentis suis. Quid Græcis & Latinis *Mina* sive *Mna*, annotant recentiores vocabularii ex variis authoribus præsertim ex Budæo & Georgio Agricola, eo alios remittendos censeo. Parum enim ad rem hujus parabolæ facit, quanti ipsi Minam Atticam æstiment. Tribus tamen verbis aliquid, *Mina* Græce *μνᾶ*, Atticum est vocabulum, quo tam in appellatione rei nummaria, quam ponderalis Athenienses utebantur. Constabat autem ex drachmis Atticis centum, eratque major Romana libra drachmis quatuor. Nam hæc nonaginta sex pendebat drachmas: sicut apud Priscianum videre est. Sed hæc pro hujus vocabuli expositione dixisse sufficiant. Nunc parabolam ipsam explicare aggrediamur.

I. Prima principalior parabolæ pars continet aliquot membra, quæ singula erunt expendenda. Utpote, consilium regis peregrinaturi: Deinde quomodo reliquerit bona sua sub manu servo-

rum dispensanda: denique seditiosam civium ipsius legationem.

1. Homo quidam *ευγενής* nobilis vel genere clarus profectus est in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum, ac reverteretur. Hic nobilis non alius est, quam Dominus noster Jesus Christus. Et verè seipsum *nobilem* vocat. Nam respectu divinitatis ex Patre longè, longissimè omnes creaturas nobilitate superat. Est Patri suo coæternus, coequalis, ut rectè Jesaias dixerit cap. 53. v. 8. Generationem ejus quis enarrabit? Quoad humanam naturam est ex Spiritu sancto conceptus, ex pura & immaculata virgine natus, intacto virginitatis flore. Quæ ipsius mater è sanctis Patriarchis oriunda est: & habet Christum in sua Genealogia ultra viginti reges & principes, ut verè nobilissimus dici queat, imò sanctus sanctorum, quem nemo ullius peccati arguere possit. Est etiam *clarus* propter præstantissimas promissiones de ipso factas. Moses enim & quotquot ipsum secuti sunt Prophetæ, de hoc nobili clarissimas edidere promissiones tam de corporalibus, quam de spiritualibus bonis. Hic nobilis vir proficiscitur in regionem longinquam, ut regnum sibi accipiat. Ergo Messia regnum non erit in vicina regia urbe Hierosolyma, sed in longinqua regione: sic nominans cælos. Illi enim verè longè à nobis absunt, non ob distantiam locorum, sed quia cælestia profunde abdita sunt à ratione humana, quæ illa minimè intelligit. Vocat autem etiam *χαίρων* regionem: quia non est angustus angulus, sed capacissimus locus, si modo locus nominari debet. Ideò Joh. 14. v. 1. Christus dicit. In domo Patris mei multæ sunt mansiones: & ego abeo vobis locum parare, non physicum, sed cælestem. Habet quidem hic rex etiam in hoc mundo regnum, nimirum regnum gratiæ, in quo regnat per verbum & Sacramenta, & per fidem: quod nos videmus, & 1. Tim. 3. v. 15. domui confertur, quæ est Ecclesia Dei. Hic autem loquitur de regno gloriæ, quod habet inter sanctos angelos & beatas animas, ubi æternam suam majestatem ipsis spectandam præbet. Hoc regnum longè à nobis abest non spatio locorum: Nam regnum Dei intra vos est Luc. 17 v. 21. sed remotum est propter majestatem & diversas ab hoc mundo rationes. Nam Esa. 64. v. 4. Oculus non vidit, auris non audivit, & in cor hominis non penetravit; quæ Deus præparavit timentibus Jesum. Consideret quoque Christianus per se ex collatione quæ & quanta illius regni sit futura majestas. Quam amplum & spatiosum hoc visibile cælum, & tamen acumine visus ad stellas usque pertingere possum? quam ampla & spatiosa est terra, & tamen cogitationibus nostris utramque Indiam & maria parambulare possum. Quid autem & quale sit illud cæleste regnum, id non assequor, nisi Deus peculiariter aliquibus aperiat oculos, quod fecit paucis veluti famulo E-

lilæi,

lisai, 1. Reg. 6. v. 17. Omnibus Apostolis in monte. Matth. 17. v. 3. Stephano, cum ad mortem rapiebatur, Act. 7. v. 55. Paulo, cum audiret verba *deponere*, quæ homini non licet loqui, 2. Cor. 12. v. 4. Ad hanc longinquam regionem profectus est Christus Hierosolyma ad occupandum regnum. Nam ascendit in altum, captivitatem captivam duxit, & accepit dona pro hominibus. Psal. 68. v. 19. De hac regni cœlestis occupatione agit etiam Apostolus Paulus præclare & prolixè. Eph. 1. v. 20. Et Phil. 2. v. 9. Ibi Christo tale nomen datum scribitur quod est supra omne nomen, ut in nomine Jesu flectatur omne genu, cœlestium, terrestrium & inferorum. Hebr. 1. v. 3. Sed et ad dextram majestatis in excelsis tanto melior angelis effectus, quanto differentiùs præ illis nomen hæreditavit. Et ubi regnum hoc accepit, prædicat se aliquando *reversurum*. Quando redire velit, tempus non determinat, sed in incerto relinquit, ut & ministros suos & cives sub metu retineat. Sic enim securitas admittitur & metus relinquitur, ne Dominus reversus eos in officio negligentès reperiat.

2. At dicat quis: Num igitur Christus proficiscens in longinquam regionem ad occupandum regnum gloriae suæ, interim Ecclesiam & regnum gratiæ suæ deserit? Nequaquam. Hanc enim promissionem ante ascensionem post se relinquit. Matth. 28. v. ult. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Imò ubi tantum duo vel tres in ipsius nomine congregati sunt, ibi se medium interesse profitetur. Matth. 18. v. 20. & Apoc. 1. v. 13. dicitur filius hominis ambulare in medio candelabrorum. Candelabra autem designabant Ecclesias: quamquam à nobis non videatur. Regnat autem etiam inter nos: sed non visibiliter, verum per Spiritum sanctum & ejus dona. Constituit ergò suo loco *servos*, seu ministros, quos Spiritus sanctus ponit Episcopos ut regant Ecclesiam Dei, quam sanguine suo acquisivit. Act. 20. v. 29. *Vocatis autem decem servis suis dedit etiam decem minas.* Servat certum numerum *decem*. Nam Deo omnino constat certus numerus & suorum servorum & suorum donorum. Quamquam apud nos idem numerus *decem* ob sui perfectionem, nobis infinitatem insinuet. Quod licet Christo & electorum & donorum & ministrorum suorum numerus exactissima ratione notissimus sit: nobis tamen ille numerus est incertus, adeoque infinitus, sicut decem per decem in infinitum multiplicari possunt. Nota autem quod hi servi non ipsi se ingerunt, sed à Domino *vocantur*. Rom. 10. v. 15. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Obijciunt Pontificii nobis Evangelicis, unde nos nostram vocationem habeamus? Eodem modo quo Pontifices Judaici, Hannas & Caiphas Baptistæ & Christo objecerunt, quis ipsis potestatem docendi & baptizandi dedisset. Nos sanè per Papæ concessionem nequaquam in Ecclesia docemus. Nam & Papa ipse cum suis nullam legitimam in ea vocationem habet. Sed docemus ex ipsius Ecclesiæ vocatione, cui Christus ipse Matth. 18. v. 18. hanc potestatem concessit. Nam Christus non amplius immediate servos suos vocat, sed mediatè per homines: & tamen nisi alicujus nomen in cœlo prius sit adscriptum, mundana vocatio parù ipsum sub-

levabit. Unde verò hi servi Christi agnoscuntur? Non ex amplis titulis, sicuti Papa suos Cardinales, suffraganeos, Abbates, quorum nomina in scriptura aut in libro vitæ non extant, habet. Sed ut quisque habeat suam *minam*, hoc est, doctrinam Evangelii de regno Christi. Hanc qui affert & Ecclesia proponit, is pro Christi servo haberi debet, licet inter ipsos postea dona sint varia & diversa, unice tamen ad Ecclesiæ adificationem directa, 1. Cor. 12. v. 4. Hæc autem mina datur *ut negotietur donec Dominus redeat*. Ubi non intelligatur pecuniaria negotiatio, qualis fuit in Papatu, ubi venalia fuerunt sacerdotia, absolutio, sacramenta, ipsum cœlum, Deusque. Hæc est impia simonia, quàm à Simone Mago Act. 8. v. 18. hæreditario jure acceperunt, sed parabolicè hoc dictum est. Quemadmodum impiger mercator non labori, non operæ parcat, sed in omnes occasiones intentus est, ut etiam cum periculo vitæ lucrum suum promoveat: Ita Christi servus omni studio contendat, ut per diligentem Evangelii prædicationem, & fidelem sacramentorum administrationem multos homines Christo lucrifaciat. Tales negotiatores Christi fuerunt Apostoli: Petrus inter Judæos, Paulus inter gentiles. Hinc ipse 1. Cor. 9. v. 19. Cum liber essem ex omnibus omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem, & Actor. 20. v. 18. in synodo Mileтана tam Episcopos quam auditores testes citat, quod ipsi sciant, quod à prima die, quæ ingressus sit Asiam, non subterfugerit, quominus annunciarit ipsis omne Dei consilium. Hofce alii fideles ministri in negotiatione sua imitari debent. Et licet sine laboribus & ærumnis ea perfici nequeant, bono tamen sint ministri animo, labores non sunt futuri perpetui, sed sub Christi adventum suum habituri finem.

3. Addit Christus tertio de seditiosa civium suorum legatione. *Cives autem ejus oderant ipsum.* Cives sunt Judæi. His enim cum primis natus est hic rex secundum promissiones & oracula Prophetarum. Sed ut Joh. 1. v. 11. scriptum est: In propria venit, & sui eum non receperunt. Ideò etiam hic dicit Christus: *Cives miserunt legationem post illum dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Agnoscunt ergò Apostoli & quicumque novi regni occupandi gratia, Christum comitabantur, Hierosolymis hoc tempore regnum nullum esse querendum. Nam quod hic Christus prædixit, illud in passione mox impletum est, Joh. 19. v. 15. Ipso Christo audiente clamant: Non habemus regem nisi Casarem, & rursus vers. 21. ægre ferebant, quod Pilatus scripsisset Jesum Nazarenum esse regem Judæorum. Hoc nimirum erat illud dicere. *Nolumus hunc Jesum regnare super nos.* Et tamen hujus reculationis ne minimam quidem habuerunt causam: Sed ex mera obstinata malitia id fecerunt. Quæ res eo indignior erat, quod *cives* ipsi us erant, hoc est, ad quos dominium ipsius ceu veri regis Sionii jure naturæ spectabat. Sed impleverunt, quod David prædixit Psal. 2. v. 3. *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum, & hoc deinceps Judæi perpetuo implere, dum Apostolos persecuti sunt, eosque prohibuerunt, ne nomen Christi docerent, dum Stephanum lapidarunt, & alios pertinaciter trucidarunt, satis numerosam legationem miserunt post illum,*

Harm. Tom. I.

Cecccc 3

illum,

illum, ex qua cognoscant ipsos nolle Christum regnare super se. Vide 1. Theff. 2. v. 15. Hos multi ex gentibus vel malis Christianis imitari discunt, qui nomen quidem Christi in ore ferunt, moribus autem & vitæ integritate, adeoque tota professione non respondent. Hi omnes etiam Christi jugum contumaciter excutiunt: maxime verò illi, qui loco Christi Antichristo se subjiciunt. A qua perveritate Deus nostros custodiat. Et hæc de peregrinatione nobilis hominis in regionem longinquam.

II. Secunda principalior parabolæ pars quoque peculiaris sua habet membra, quæ sunt excutienda qualia sunt, reditus hujus Regis, examen rationum cum servis, ubi præmio afficiuntur fideles & diligentes, pœna ignavi servi, & denique ultio contra seditiosos cives. Quæ omnia eo spectant, ut tum spe præmiorum, tum metu pœnarum pii in officio suo vigilantiores continentur.

1. Quantumvis Judæi hanc Jesum noluerint habere regem, & adhuc hodie pertinaciter eum negent atque blasphemant: redibit tamen illis invitus gloriose regnans cum servis suis rationem initurus, & de inimicis suis ultionem sumpturus. Nam factum est ut rediret accepto regno. Hoc futurum est in novissimo die, quando redibit ad judicium vivorum & mortuorum, de quo Prophetæ, In primis Daniel Christus ipse & Apostoli multum sunt vaticinati. Caveamus itaque ne nos Empectas illos turbare patiamur, de quibus Petrus 2. Petr. 3. vers. 3. agit. Quod promissiones adventus ejus rideant, eo quod non à vestigio eas adimpleat. Cælum & terra transibunt, sed hoc verbum de ipsius reditu non transibit.

2. Reversus rex ante omnia sollicitus fuit de servis suis quibus pecuniam suam concrediderat, ut sciret quantum quisque negotiatus esset, hoc est, quantum lucri negociando fecisset. Est autem in græco verbum διαπραγματισθείς, quod cum lucro negociari significat. Sic ergo in novissimo die Christus cum servis suis ager, quod eos primum per angelos adduci jubebit, & quos deprehenderit Evangelici sermonis prædicatione & concreditis sibi donis multas animas sibi lucrificasse, eos non solum collaudabit, sed etiam magno remunerabit præmio & cœlestis sui regni confortio donabit. Idque faciet unicuique pro diversa ratione industriæ & parti lucri: ut majorem gloriam & præminentiam in regno suo daturus, qui plus laboraverunt, & plus lucrificerunt, omnes tamen æterni gaudii participes erunt. Hoc in parabola disertè exprimitur, quando primus servus adducitur cujus una mina decem minas acquisivit, & non tantum collaudatur: Euge serve bone in minimo fuisti fidelis, sed etiam decem civitatibus præficitur. Alter servus, cujus una mina quinque alias consecit, quinque præficitur civitatibus. Vide quam benignus hic sit Dominus, non exoptulat cum hoc servo, quare non plus lucrificerit, cum conseruus ipsius ex æquali pecunia duplo plus lucratus fuisset: scit enim hic Dominus varios esse negotiationis casus, nec semper labori & industriæ lucrum respondere. Ideo contentus est mediocri lucro. Sic censura novissimi judicii revelabit quantum quisque in Ecclesia Dei

negociatus fuerit & alios lucrificerit. Singuli ergo operam dent, ut omnis ipsorum vita & doctrina, omnia dicta & facta Christum spirent, tunc licet alii eminentiores futuri sint, ipsi tamen etiam suam laudem & præmium consequentur. Illud verò cum primis observatione dignum est, quod hi duo servi non dicunt. Nos per unam minam nostra industria tot & tot acquisivimus. Sed Domine tua mina acquisivit decem. Item: Tua mina consecit quinque. Sic lucrum non suo labori, non suæ negotiationi vel industriæ, sed totum divinæ gratiæ ascribendum, à quo omne id provenit, quod bonum & Deo gratum est. Hoc D. Apostolus Paulus probè observavit. Nam cum 1. Cor. 15. v. 10. dixisset: Ego abundantius omnibus laboravi. Mox per correctionem addit: Non ego autem sed gratia Dei mecum.

3. Postquam boni in modum singuli servi rationem reddidissent, advenit tandem etiam ignavus & malæ fidei servus, qui non tantum non negotiatus est sua mina, sed insuper ignaviæ suæ culpam nequiter retorquet in mores & iniquitatem sui domini. Ecce Domine, inquit, Mina tua, quam habui repositam in sudario, quo tibi sicuti erat maneret incolumis. Adeo non profudi, ut ne attingerim quidem. Hoc malui, quam venire in periculum, ne si negotiatio malè cessisset, sicuti varii in ea sunt casus, tecum mihi res esset. Timui enim te, eo quod homo austerus, & lucri admodum cupidus sis. Tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Magna hæc est austeritas & petulantia hujus servi, qui se excusaturus transfert culpam in austeritatem sui Domini. Sed hi sunt mores hypocritarum qui ne ipsi Deo quidem parcunt, sed ipsum injustitiæ arguunt, ut qui legem dederit, & eam servantibus multa promiserit, sed eadem parum servet. Notæ sunt voces Judæorum Esaiæ 58. v. 3. Quare jejunavimus & non aspexisti? humiliavimus animas nostras & nescivisti. In ministerio autem hunc ignavum servum illi potissimum imitantur, qui neglecto Christi mandato, qui ipsos sua mina negociari iussit, neglectis item exemplis collegarum, quos satis industrios esse vident, aliam rationem excogitant, qua heri sui lucro eonsulant, vel vocationem Domini penitus deferunt, & alium vitæ genus suscipiunt, quod & minus periculosum & magis fructuosum futurum sperant. Vident prædicationem verbi divini à filiis hujus seculi flocci pendi, in audiendis confessionibus, & arguendis peccatis hominum sæpe eos offendi: intelligunt denique totam curam pastorem esse se rem laboris & periculi plenam, quia Deus ex manibus pastorum pereuntium sanguinem repetere velit Ezech. 3. v. 18. Hic incipiunt ignavi isti servi querulari de rigore justitiæ divinæ, dicentes, se adeo pusillanimes esse, ut tam strictæ rationi, quæ exigetur, satisfacere non possint. Hinc aliqui ecclesiasticam negotiationem commutant in politicam: sed quo cum fructu plerique adhuc ante exitum vitæ experiuntur. Neque enim potest Christus impunitum relinquere neglectum suorum donorum, si maxime nihil alias mali accedat. Sed hosce ignavos & nauci servos, Christus in novissimo die non minus ex propriis verbis condemnabit, quam hic Dominus suum ignavum servum. Etenim hæc ipsa consideratio rigidiæ justitiæ divinæ & cupiditatis

ratis lucri, quam in ipso esse sciunt, tanto magis ipsos ad negotiationem & officium etiam cum periculo faciendum impulsisse debuisset, ut ipse Dominus rediens cum sœnore & lucro sua dona recipere potuisset. Nam in hac parabola, rex audiens servi excusationem cum calumnia sui conjunctam, offensus non tantum rex ignavia, sed etiam protervia, qua in Domini austeritatem culpam negligentia conferret *ex ore suo ipsum judicavit*, dicens: *servi bis nequam ignave scilicet & heritui infimulator, ex verbis tuis te judicabo, Si noveras, quod homo austerus sim, tollens quod non posui, & metas quod non seminavi*, tum hoc te non ad ignaviam impellere sed ad majorem industriam permovere debuisset. Si enim aliena, ut tu dicis, pro lucri aviditate tam cupide appeto, poteras cogitare, me multo magis mea cum lucro requisiturum. Aut: quia omnino in negotiationibus varii & inopinati sunt casus, ut quis cum summa pecunie suæ interdum in periculum damni incidat, *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* ubi vel ex mutatione nummorum, vel ex contractu mutui quoque lucrum faciunt, & tu cum ipsis ejusdem lucri particeps fieri potuisses. Sic non opus fuisset cum periculo vitæ & pecunie maria & terras peragere, & mihi lucrum quærere: domi tuæ & extra periculum certum lucrum paralles. *Et ego veniens*, vel à te, vel à mensariis, si hi pecuniam tibi reddere nollent, *utique cum usuris exegissem pecuniam meam*. Ad hanc severam Domini sui sententiam ignavus servus obmutuit. Dominus igitur *astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet*. Non repetit minam suam ad se, sed illi dari jussit, qui omnium fuit utilissimus: ut sic facto demonstraret, se non tam pecuniam, quam lucrum suæ pecunie spectare. Mirantibus autem servis, cur hæc mina adjicienda sit illi, qui jam ante decem minas habeat, & dicentibus, *Domine, habet decem minas*, cur non potius tradetur uni ex iis, qui minus habet? Dominus subjicit commune illud & tritum dictum: *Dico vobis, quod omni habenti dabitur. Ab eo autem qui non habet, etiam quod habet & auferetur*. q. d. Ille, qui cum eo, quod à me habuit, lucrum fecit, vere habuit quod ipsi commisi, ac proinde dignus est, cui amplius quid committatur, & qui ditior fiat. Alter autem, qui quod à me habuit, sic habuit, ac si non haberet, dignus est qui privetur etiam illo, quod à me habuit. Hæc Pontificii Episcopi probe considerare debebant, quorum plerique prædicationis Evangelicæ pertasi Ecclesiasticam negotiationem in politicam jurisdictionem permutarunt. His suadendum erat, ut, quandoquidem ipsi per prædicationem Verbi & Sacramentorum administrationem Christo negotiari nolunt, vel saltem minam suam dent mensariis & numulariis, hoc est, munus suum Ecclesiasticum commendent hominibus fidelibus, qui idonei sunt alios docere. Sed ipsi sunt vere ignavi canes in præsepio, qui nec ipsi vel possunt vel volunt docere,

quod tamen Episcoporum in Ecclesia proprium munus esse debebat, nec alios suo loco docere permittunt. Quod autem mina ab ignavo servo ablata traditur ei, qui jam ante decem habeat, hoc singulos fideles servos excitare debet, ut tanto majori fide & diligentia suis donis Christo multos lucrifacere studeant: siquidem in futura retributione ipsorum gloria & gaudium augetur ex donis eorum qui illis in hac vita non bene usi fuerunt. Sic omni ex parte habentibus dabitur, auferetur autem ab illis qui nihil habent, etiam quod habent.

4. Hoc examine cum servis habito, jubet Dominus secundo loco inimicos illos suos adducere, qui noluerunt ipsum regnare super se, utque rebellionis suæ meritas luere pœnas, dicit: *Interficiete eos, & euwgodêv mu, in conspectu meo*. Et quidem Christus Judæos suos hostes, qui ipsum regem habere noluerunt, dudum per Romanos internecioni tradidit, urbem ipsorum regiam devastavit, & totam gentem in perpetuum exilium disperdit. Sed in novissimo die omnes suos inimicos, diabolos, Judæos, gentes, falsos Christianos æterna morte condemnabit, eosque mittet in stagnum ignis ardentis sulphure, Apoc. 19. vers. 20. Quia autem in hac parabola hic noster Dominus introducitur prius remunerari fideles servos, quam punire ignavum vel vindicare hostes, nos monet ipsum promptiorem esse ad coronandos justos, quam ad condemnandum impios. Sicut etiam in novissimo die prius justis diciturus est: Venite benedicti patris mei, quam impiis: Ite maledicti in ignem æternum.

Postremo Evangelista totam hanc narrationem hisce verbis concludit: *Et his dictis antegrediebatur Jesus ascendens Hierosolymam*. Hoc est: Postquam suis exemit errorem, quasi propterea ascenderet Hierosolymam, ut mundanum regnum ibi auspicaretur: postquam ipsis etiam indicasset odium Judæorum contra se, ut ostenderet, se odium illud non metuere, & jam auspiciari velle profectionem in regionem longinquam, in qua sibi accepturus esset regnum, recta perrexit Hierosolymam versus. *Præcedebat autem suos*: quia sciebat (ut ex Marco & Johanne audivimus) eos sibi ab Hierosolymis metuere. Sed hoc modo Christus nobis suam constantiam commendat, qua ubique terrore nullius periculi & ipsius etiam mortis, officium sibi à Patre demandatum exequi voluit. Constabat autem ipsi sigillatim de omnibus quæ Hierosolymis ipsi eventura erant, non tamen eo se absterreri passus est, sed tendit eo indefesso gradu, imo suum comitatum instar ducis præcedit. Sic suo exemplo docens, quid nos deceat, si quando divina vocatio nos urget. Quia in re eo paratiores esse debemus, quod Christus præeundo nobis viam complanavit, & in longinqua sua regione quoque locum paravit.

CAPUT CXXXIX.

CONTINENS HISTORIAM ILLUMINATIONIS DUORUM COECORUM POST EGRESSUM EX HIERICHO, Matth. 20.

vers. 29. & Marc. 10. vers. 46.

RATIO ORDINIS.

DE ordine hic nulla est difficultas. Cum enim Lucas testatus sit, Dominum absoluto sermone de decem servis & decem minis recta Hierosolymam versus iter instituisse. Matthæus autem & Marcus uterque referunt, egrediente Domino ex Hiericho cæcos hosce sanatos esse, nullum dubium est hoc ordine historias has se invicem sequi. Illud vero majus dubium movet, cum Matthæus de duobus cæcis. Marcus autem tantum de uno referat, quomodo hoc conciliari possit. Conciliandi modi sunt duo. 1. Quemadmodum Matthæus cap. 8. vers. 28. habet duos dæmoniacos, quos Christus in regione Geresenorum sanavit. Marcus autem cap. 5. vers. 2. & Luc. 8. vers. 27. tantum de uno referunt, illud autem sic conciliatur quod unus eorum notior fuit altero. Sic aliqui putant Marcum tantum illum cæcū commemorare voluisse, cujus no-

men persona, & calamitas notior fuit, & cujus illuminatione clarior fama de hoc miraculo sparsa est. Ideo etiam nomen exprimit tam ipsius, quam parentis, eumque *Bartimeum filium Timæi*, appellatum scribit. 2. Euthymius & alii censent duos illos cæcos quos Matthæus illuminatos scribit profus diversos ab illo Bartimæo, de quo Marcus agit. Nam & diverso sanandi modo Christus utitur. In Matthæo cæcorum oculos tetigit; in Marco tantum verbo sanavit. Et hæc conciliandi ratio fortassis omnium esset convenientissima. Nam non est dubium singulari Dei dispositione factum, ut quo propius Christus ad mortem suam tenderet, eo crebriores hominibus beneficiendi ipsi occasiones objicerentur. Ut sic ubi vis beneficiendam suam etiam inter peregrinandum exerceret, nobisque exemplum præberet quo & ipsi erga omnes & ubi vis proficui esse studeamus.

COECI SANATI POST EGRESSUM EX HIERICHO.

MATTH. 20.

29. Καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν ἀπὸ ἱεριχῶ, ἠκολούθησεν αὐτῷ ὄχλος πολὺς.
 30. Καὶ ἰδὲ δύο τυφλοὶ καθήμενοι πρὸς τὴν ὁδὸν αἰχμαίνοντες ὅτι Ἰησοῦς παρῆγει ἐκραζέον λέγοντες, ἐλέησον ἡμᾶς κύριε, υἱὸς δαβὶδ.
 31. Ὁ δὲ ὄχλος ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα σιωπήσωσιν. οἱ δὲ μείζον ἐκραζέον, λέγοντες, ἐλέησον ἡμᾶς κύριε, υἱὸς δαβὶδ.
 32. Καὶ εὐθὺς ὁ Ἰησοῦς, ἐφώνησεν αὐτοῖς, καὶ εἶπε, τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν.
 33. Λέγεσιν αὐτῷ, κύριε, ἵνα ἀνοιχθῶσιν ἡμῶν οἱ ὀφθαλμοί.
 34. Σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ Ἰησοῦς, ἤψατο τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, καὶ εὐθὺς ἀνέβλεψαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοί, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ.

29. Et egredientibus illis ab Hiericho sequuta est eum turba multa.
 30. Et ecce duo cæci sedentes juxta viam, cum audissent, quod Jesus transiret, clamaverunt dicentes: Domine miserere nostri, fili David.
 31. Turba autem increpabat eos, ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: miserere nostri domine fili David.
 32. Et stetit Jesus & vocavit eos, & ait: Quid vultis, ut faciam vobis?
 33. Dicunt illi, Domine, ut aperiantur oculi nostri.
 34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum, & confestim visum receperunt oculi illorum, & secuti sunt eum.

MARC. 10.

46. Καὶ ἔρχονται εἰς ἱεριχῶν, καὶ ἐκπορευομένων αὐτῶν ἀπὸ ἱεριχῶν καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ ὄχλος ἰκανὸς, υἱὸς τιμαίου βαρτίμαϊος ὁ τυφλός, ἐκάθητο πρὸς τὴν ὁδὸν κερσοματῶν.
 47. Καὶ αἰχμαίνων, ὅτι Ἰησοῦς ὁ ναζωραῖός ἐστιν, ἤρξατο κραίειν καὶ λέγειν, ὁ υἱὸς δαβὶδ, Ἰησοῦ ἐλέησον με.

46. Et veniunt Hiericho, cumque egrediretur ab urbe Hiericho, ac discipuli illius & turba copiosa filius Timæi Bartimeus, cæcus, sedebat juxta viam mendicans.
 47. Et cum audisset, quod Jesus Nazarenus esset, cepit clamare & dicere: Fili David Jesu miserere mei.
 48. Καὶ